






BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

434

10
me in esse
ridim hestiu
ms. h. l. Gee
Jategorium,
J. M. Hares
sinatent. Hona
apud J. Jacobi





GRATIÆ DEO ^{6^o}

actæ ab ecclesia pro victo-
ria ex Michaelē Mul-
tano parta.

Quæ incepit die S. Hedwigis, id est, 15. die verò S. Ad-
alberti, id est, 20. Octobris fœlicem exitum
est fortita. Anno Do. M.D.C.

Polonico prius idiomate scriptæ, pòst à quodam alio
in latinum versæ.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in
æternum misericordia eius. Psal: 135.



Anno Domini. 1601.

5.316

Handwritten text at the top of the page, including the number 100 and some illegible words.

Handwritten text in the middle section of the page, appearing to be a list or series of entries.



XVII - 434 - III

Anno Domini 1801

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.



I quod vnquam tempus fuit , incly-
ta gens Polona , quo nos rerum omni-
um conditori & moderatori Deo opti-
mo Maximo grates persoluere , magis
sit consentaneum ; tum ea tempesta-
te , qua de perfidissimo & acerrimo
Poloni nominis hoste , Michaelē Multano , insignem
nobis victoriam confecit , debitum prorsus atq; ne-
cessarium est. Etenim nunc non secundum peccata *Psal: 102*
nostra fecit nobis , neq; secundum iniquitates nostras
retribuit nobis : nunc , pro illa infinita bonitate sua,
nos ex faucibus fati eripuit : nunc , ecclesiam suam
in hisce terris constitutam , ab importunissimo schi-
smatico , tutam & incolumem reddidit : nunc , à Re-
gno hoc inclyto , crudelissimum Tyrannum represit :
nunc bona nostra , facultates nostras , libertatem , patri-
am , vitam deniq; ipsam , quæ omnes superat charita-
tes , nè præda essent latroni & insidiatori , misericordi-
ter protexit : nunc illud rei militaris & verissimæ glo-
riæ studium gentis Polonæ , quo ad eum decorem per-
uenit , orbi vniuerso commendauit : nunc limites re-
gni longè lateq; protulit : nunc gentem illam Sarace-
norum impurissimam maximo terrore perculit : nunc
alios Ciues & fratres nostros anxios & sollicitos recre-
auit , alios incautos & imprudentes , cautiōres reddi-
dit : omnes deniq; ordines Regni , omnes omnium æta-
rum homines nostros , incredibili laticia affectit. Sit

ergo nomen domini benedictum in secula : quoniam bonus est, & nescit mutationem vllā misericordiae eius.

Verū enim uerò, recognoscite mecum paulisper equites Poloni, quando (eheu) superioribus diebus in comitiis Regni, patriam uestram deseruistis. Videbatis hostem in propinquo insolentiùs agere : in alienas prouincias contra omnes diuinas & humanas religiones irruere : Cardinalis ac Episcopi nostri sanguinem crudelissimè profundere : alios passim pro suo arbitratu obtruncare & laniare : aliena vi rapere : matronarum & virginum pudicitiam prostituere : cæteraq; omnia militum furori permittere. Attamen (proch dolor) in ipso rerum discrimine, patriam afflictam, deformatam, contumeliis exagitatam, omni ope destituisistis. Obuersabatur quoque uobis ob oculos, alter Aquilonis Tyrannus, impurissima hæresi infectus, sitiens regnorum, appetens sanguinis, periurus, asper, inhumanus, sæuus, quem neque iura sanguinis ipsa potuerunt ad aliquam humanitatis speciem erga suum nepotem Regem uestrum reuocare. Iam mari mox traiecto, uestras arces & præsidia inuadebat : Liouiam uestram ferro ac igni subigebat : regnum hoc amplissimum, & uos, maioresque uestros, immortalis gloria spoliabat. O uitam ò mores ! Hæc né uobis prudentibus, scientibus, uidentibus, & propè manu contrectantibus fiebant ? Itané patriam uestram hosti exposuistis raptori, tanquam illi pastores, qui circa ole

ra præ

ra præ metu, & lenioris aliquando auræ strepitu, tugi-
riola & custodias deserunt? Nam speciem quandam
generalis in hostem expeditionis præ vobis ferebatis;
nihil tamen fiebat rerum omnium. Alii immorigero
& inquieto animo morem gerere: alii intempesti-
uis concionibus vel contentionibus opinionem sibi
quandam prudētiae parare: alii ex aliorum dissidiis &
incommodis sua commoda augere; prudentium au-
tem virorum consilia respuere, nullamque de publi-
co incommodo & periculo auertendo cogitationem
suscipere. Erant, qui falsissimis hominum ineptissi-
morum sermonibus persuasi, & totum Regnum, & re-
gem ipsum, optima quæque de Michaele sperare iu-
bebant: cùm satiùs fuisset & consultiùs hominis præ-
uaricatoris ingenium penitiùs inspicere, eiusque con-
siliis obuiam ire. Cur enim, quæso, viris grauibus &
non vulgari prudentia, ac vsu rerum præstantibus, non
induxistis animum credere? An non certissimis edo-
cti argumentis palam denunciabant vobis, iam tum il-
lum schismaticum, & alterum hæreticum in exitium
vestrum conspirasse? iam tum bonorum & possessio-
num vestrarum ac vestri pariter nundinationes insti-
tuisse? iam tum Prouincias vestras ad diuisionem, vos-
que ipsos ex isto flore & libertate, quam nemo bonus
nisi cum anima amittit, in perpetuam seruitutem ani-
mo destinasse? Væ filii desertores, dicit Dominus, vt *Isai. 30.*
faceretis consilium, & non ex me. Hoc cine est amare

patriam, quæ vos gremio suo fouet, nutrit, vbera præbet, qua cadente, stare, & vitam & spiritum tenere non potestis? Hoccine est filios esse, an non potius desertores almæ parentis? Vos, vos ipsi exitium vltro accersibatis: Vos ipsi iugulum hosti præbebatis.

Vix illa comitia (eheu) infoelicia confecta sunt, en vterq; hostis confinia regni sine custodia, sine præfidio, vi armata ingreditur: en Multanus Walachiam, quæ semper ianua regni Poloniæ habita, & non ita pridem publico consensu in patrocinium recepta fuit, inuadit, occupat, vobisq; intuentibus, ferro & igni depopulatur: en ipsum Walachiæ principem, qui in tutela vestra tutus esse debuit, eiicit: milites Polonos obtruncat: vos cæteros, regemq; vestrum, contemnit: virtutem illam Polonorum bellis semper inuictam eleuat, ac ludibrio exponit: deniq; fines regni lacescit, hoc sanè studio & conatu; vt Poloniam pariter occuparet, & vel ipse rex esset, vel alteri cuiquam simili viam ad regnum muniret. O quas tum vidisses Polonia direptiones, vastitates, stupra, eiulatus, quæ incædia, quæ funera tuorum? Non vlli ætati, vlli sexui, non domibus, non templis Dei, non reliquiis sanctorum, non sepulchris maiorum, non deniq; rebus omnibus, quibus ferro & igni noceri possit, parcitum fuisset. Hæc sua consilia hostis perfidissimus & astutissimus premebat, & aliquos blandis sermonibus deliniebat. Optimam enim nactus fuit occasionem. Erat ille

ille omnium factorum & dictorum nostrorum conscius : exploratum habebat, quàm infœlici exitu comitia conclusa fuerant : habebat penes se militem Polonum, quem se aduersus Turcas conscribere simulabat : non deerat illi exercitus numerosissimus & validissimus, cuius ad 50. millia circa fluuium Tyreten computabantur : in aciem verò multò plures educebat. Neminem videbat, qui resisteret : videbat fines regni omni præsidio destitutos. Putabat iam regnū hoc nullam opem aliunde nisi ex tributis & milite stipendiario posse habere : putabat nullam hîc posse fieri generalem expeditionem ; vel si aliqua fieret, eam nihil terroris hosti afferre. Habuit forsan (vti aiunt) conflata cum quibusdam nostris amicitiam, qui deuicta Walachia, lætum præferre animum, conuiuia agitare, bona illi absenti omnia dicere, prædicare palam fortunas eius, &, quod miserabile esset, eo regnante, priuatas iniurias vindicare, odiumque & malevolentiam in suos euomere velle dicebantur. Existimabat vno saltem mense, absq; vlllo impedimento, in suburbia Gracouiensia exercitum se deportare posse, consentibus illud idem ducibus & tribunis militū eius. O quantum mali multis dedissent isti, qui de Michaele atrocissimo & potentissimo hoste nihil sinistri concipi, quin potiùs eius amicitia, omnia concedi permittiq; debere, existimabant ? Quantū plerisq; anxietatis & sollicitudinis attulissent ? quæ tanta rerum æstimatio huic iacturæ comparari potuisset ? quante

lachrymarum scaturigines effunderentur dicentium
Ieremie 9 cum propheta : Deducant oculi nostri lachrymas, &
palpebræ defluant aquis? quando facultates domusq;
multorū militi inexorabili in prædam abirent : matro-
Isaie 8. narum & virginum pudicitia eriperetur : iuvenes ani-
mi & corporis dotibus præstantes, filii, amici & con-
Isaie 1. sanguinei passim obruncarentur : cū pulcherrimi
viri caderent, & fortes in prælio : cū denique pro-
uincię & regiones fuissent velut quercus defluentibus
foliis, & velut hortus absque aqua?

Equidem iam hoc malum in foribus nostris fuit.
Quomodo ergo erepti sumus? laqueus contritus est,
Daniel 5. & nos liberati sumus. Nondum numerati & comple-
ti sunt dies nostri, nondum appēsi sumus in statera, vbi
facilè discerni posset, an odio vel gratia digni simus.
Prolongauit adhuc dominus dies nostros, vt poeniten-
tiam faciamus, ad eiusq; gratiam reducamur. Prote-
xit nos Deus altissimus contra hostem per Iesum
Christum, & fidem Catholicam, quam adhuc regnum
hoc profitetur. Misit Angelum suum, qui hostem ex-
cœcauit: iniecit vincula pedibus equitum & peditum
eius: perturbauit animos: perculit timore, vt non po-
tuerint accelerare cædem hominum nostrorum rebus
suis interim studentium, animum verò ad ea quę im-
minebant non aduertentium. Inflamauit Deus amore
patrię animos quorundam nostrum : qui publica au-
xilia, vt in repentino plerumque fieri solet periculo,
minimè

minimè expectantes, fortiter & animosè pro salute patriæ, omniumque nostrum, hosti se opposuerunt. Tribuit illis Deus noster fortitudinem & prudentiam insignem, laborum tolerantiam admirandam, victoriam denique gloriosam. Quis obsecro speraret tam cito tot lectissimorum robur tamque bene instructum colligi potuisse? Quod profus incredibile fuerat; ibi Deus nihil laboris & negotii inesse ostendit. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *psal: 117.* Quis ergo iactabit virtutem & conflictum virorum, pernicitatem equorum, & cætera belli adiumenta; cum virtute dei, fideque; firma, & spe non dubia, bella conficiantur? Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Quis sine auxilio Dei factum hoc interpretabitur, qui *Isaie 6.* vires hominum, quæ in bello primas partes tenent, dirigit, ipseque alios terrore concuti & fugere, alios animosè vincere facit? Dominus est exercituum. *psal: 43.* Impulsus euerfus sum (dicit ille fortis bellator) vt caderem, & dominus suscepit me. Fortitudo & laus mea dominus, & factus est mihi in salutem. Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Tu docuisti manus meas ad prælium, & digitos *psal: 117.* meos ad bellum. Huic ergo gratiæ sint immortales, & in æternum ipsi soli gloria. Non tamen ideò Nobilibus ac militibus nostris meritas laudes & gratias negare debemus: Deo nostro primas & supremas; illis *psal: 143.*

secundas reponimus. Magnas Rex noster partes foelicitatis habet: cuius auspiciis magna victoria est parta; cuius auspiciis nos tuti in pace & tranquillitate degimus. Diuinitus is Rex nobis datus, & dei benedictione ac virtute instructus est. Non est enim potestas, nisi à Deo. Habitamus subter hanc arborem sublimem & robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum. Iustitia, innocentia, virtus, pietas, pudor ac patientia eius, hæ fuerant turmæ auxiliares; hæ vim & audaciam militi addebant, victoriamq; indubitatum promittebant. Sit ergo gloria Deo, & honor Regi. Et inclinauerunt se & adorauerunt Deum, & postea Regem (dicit scriptura) **REX IN AETERNVM VIVE.**

Rom: 13.

Daniel 4.

Para: 29.

Quoniam ergo hanc victoriam, Regi nostro, dux & præfecti eius pepererunt; secundas à Rege laudes & gratias illis tribuimus. Tantum, ò viri fortes, habetur vobis & habebitur semper dignationis & honoris, quantum Respub. tota in vestro capite discriminis fuisset acceptura. Non venerat tum in mentem vobis belli neruum expectare: conuenticula & comitia præstolari: disputare cum cætera nobilitate regni, quomodo & quibus viis tanto malo nascenti occurrandum esset: sed è vestigio mandatis Regis vestri & dictis paruistis: mox ad præceptum incendium restingendum accurristis: mox fluuio impetuoso, qui nescit modum & litem, aggerem obiecistis: mox cum cæteris bonis ciuibus, & maximis patriæ amatoribus, hostem

stem animis & viribus excepistis. Semper enim in rebus periculosis fortissima consilia sunt tutiora. Non facultatibus propriis, non valetudini pepercistis: non hostilem exercitum, numero multò superiorem, reformidastis: non deniq; in tanto tamq; repentino discrimine animum demisistis. Dixerunt vnusquisq; ad pro .i Mach. 9
ximum suum: Erigamus deiectionem populi nostri: pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris. Satius est nos mori, quàm superesse cineribus patriæ & ecclesiæ: quàm videre fratres nostros miseram seruire seruitutem. Verus profectò is amor est, verum studiũ in patriam. An non etiam illud summe est prudentiæ, naturam & ingenium hostis explorare? expiscari conatus, cõsilia, cogitationes, quid moliebatur, quid animi, quid odii, quid crudelitatis in nos spirabat, quibus stimulis, quibus aliorum regni aduersariorum pactionibus & auxiliis rem tantam agredi meditabatur? Ita sanè diuino spiritu omnia affecuti sunt, fortiq; animo represserunt. Quis ò supreme ductor exercitiũ habenda tibi gratia adæquabit tua merita? Quis, ò amator patriæ, tuas fatis laudes enarrabit? quis vnquam ciuis Reipub. & animo & consilio & re paratior? Non te retardauit ætas hæc ingrauescens, non charissima coniux, non vnigenitus tuus, non diuitiæ, non cura valetudinis: iuuentus illa tua reffloruit, posteaquàm rem Polonam in periculo versari inaudiuisti: valde te commouit publica illa macula: post Reipub: salutem

habebas vitam, & rationes omnes tuas priuatas. Iuisti in hostem animo promptus, consilio & armis instructus: omnia perupisti, vicisti, superasti. Viuet ergo viuet tua semper memoria: viuent tua præclare facta & merita, gloriamq; tuam omnes excipient anni consequentes: qui omnium nostrum spes iam proiectas singulari tua virtute excitasti: qui ferrum, flammam, cædem, rapinas, à tuorum ciuium tectis, fortunis, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem depulisti: qui aliis vitam, aliis patriam, aliis libertatem, aliis bona, fortunas, liberos, amicos, restituiisti: deniq; totius Reipub: Polonæ salutem ex maximo discrimine vindicasti. Omnes dicamus, Duci nostro dies multi, amatori patriæ gloria immortalis, mercesq; apud Deum sempiterna.

Iudic. 5.

Sed non postremæ quoq; sunt habendæ gratiæ quibusdam Senatoribus regni Palatinis & Castelanis: qui eodem amore incitati, non segnem operam Reipub. nauârunt. Dicamus cum illa Debora: Cor meum diligit vos ò principes, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, qui sponte obtulistis animas vestras ad periculum. Vicistis celeritate & studio alios potentia & opibus præstantes, & Reipub: beneficiis obligatos: Charitas ipsa patriæ vos è domibus vestris primo quoque tempore euocauit: nihil erat ita arduum & difficile, ita durum & laboriosum, quod non summa virtute superaretis: pro patria vestra,

stra, pro ecclesia, pro incolumitate ciuium vitam profundere non formidabatis: et ducum & militum officio functi estis. Reuocate in memoriam, quantopere ille hostis perfidus errauerit, cum suos acueret in prelium. Illustres (inquit) & principes viri sunt, delicati, molles, carent milite stipendiario, ipsi manus nobiscum non conferent. Nesciebat hostis impurissimus vos, & vitam, & omnia vestra, interim posthabuisse; vt de Repub: benè mereri, & gloriam nominis immortalem ad posteros transmittersse possetis. Benedicimus ergo Deum vobiscum pro vestra optime nauata patriæ & ecclesiæ opera. Non deleat obliuio vnquam virtutem vestram, eiusq; Deus noster sit remunerator amplissimus.

Multum quoque vobis debemus lectissima iuuentus Polona, generosa nobilitas, & ceteri, qui voluntariam professi estis militiam. Ardor rei militaris, virtus maiorum vestrorum, charitas patriæ, non grauatim vos è tectis vestris, ex remotis districtibus, per tot itinerum difficultates exciuit: cum summa animorum alacritate, & vitam, & hæreditatem à parentibus traditam, & cætera omnia Deo, patriæq; accepta tulistis, magnamq; & vobismetipsis nominis ac benedictionis Dei accessionem fecistis, & aliis insigne bene merendi de patria exemplum præbistis. Insistent (credite mihi) ceteri hisce vestigiis vestris: aspirabunt ad eam nominis gloriam, quam nunc illis præclare



clarè maiorum vestrorum & animosè gestis adiecistis: aspirabunt deniq; ad eam coronam, quam vobis reddet largitor bonorum omnium Deus Opt. Maximus.

Omnibus deniq; militibus & viris fortissimis, quos rectè Slauos maiores dixerunt, quòd ad gloriam, quæ Polonis est Slawá, maximo studio ferantur, ingentes agimus & habemus gratias: qui non solùm in hostem benè & feliciter pugnaistis; sed etiam loca natura & arte vallata, aquis, fossis, syluis, montibus, paludibus munita, summa virtute perupistis. Cedebant virtuti vestræ aquæ, syluæ: complebantur fossæ, montes ipsi solo se æquabant: non hostium numerosissimus exercitus, tot vexilla, tanti apparatus vos deterrebant: parua quoq; manus selectæ iuuentutis velitationibus primum prælium laceffendo multa millia hostium concidit, aliisq; certissimam attulit victoriam. Omnes illi, qui in loco tam munito Turcas & Tartaros vincere consueuerant, in effusam fugam coniecti sunt: cadauerum numerus iniri non potuit: vexilla vltra centum collecta sunt. Testatur colles, valles, aliaq; loca prærupta. Testantur vineta, dumeta, quæ infinitos hostium aggeres viderunt. Testantur paludes, & alia loca cœnosa, in quibus hostium cadauera vsus pontium præbebant. Magnum terrorem Turcis incussit fortitudo vestra: stupebant ducem egregium: stupebant exercitum validissimum. Quid enim obsecro? An exhortationes aliquaerant necessariae: vltro

Utrò ipsi in iacula, hastas, & tormenta ruebatis :
Deus & charitas patriæ, gloriæq; cupiditas, vos stimu-
labant : postposueratis omnia, quæ mundus habet
charissima, præ amore ciuium & fratrum vestrorum :
non in verbis ponebatis salutem patriæ, sed in san-
guine, vulneribus & virtute bellica : vbi plus inerat
periculi, ibi exercendæ virtutis campum, probandiq;
studii in publicam rem, maximè exoptabatis : deniq;
pro ecclesia, pro patria, pro ciuibus vestris mortem
oppetere non formidabatis. Diligimus vos, domino- *Iudic: 5.*
que Deo pro vobis vota facimus ; vt ultra fortitudinẽ
vestram, reliquarum virtutum cumulum, & vltra eam
coronam militarem, illam sempiternam vobis tri-
buere velit.

Habes quidem tu Serenis. Rex plerasque gentes
& nationes tibi subiectas : sed nulla est Polonis hisce
tui studiosior : nulla te magis insigni fide & amore
prosequitur. Sciebant te Polono sanguine fuisse cre-
tum ; Regem te suum, illis difficilimis Reipub. tem-
poribus, multo labore, multo sudore, multo sangui-
ne constituerunt : tot ac tantas victorias tibi pepere-
runt, ac nominis tui celebritati addiderunt. Quæ gens
obsecro tranquillitati regni, saluti ac incolumitati
tuæ magis prospicit ? quæ pro te vitam maioribus pe-
riculis obicit ? quibus id totum quod habes, acce-
ptum ferre debes ? quibus magis fidere, teq; ac tua
omnia tutiùs committere potes ? Isti sunt in rebus pro-
speris

l. Reg 14.
ſperis tibi obſequentiſſimi, in aduerſis fideliffimi
ac paratiſſimi. Eos ergo gratia & beneuolentia pro-
ſequere. Gens enim tua eſt. Eos, vt quiſq; eſt fortiſſi-
mus (quod aliquando Saul factitabat) beneficiis ti-
bi deuincias: his præfecturas, dignitates, honores, re-
ditus, aliaq; benemeritis præmia attribuas: his ſtimu-
lis eos magis ac magis ad virtutem, induſtriam, ad be-
nemerendum de te, Req; pub: excitabis: omnia pro te
ac patria inaccessa agredientur, ardua ſuperabunt, pe-
riculoſa contemnent. Sed comendabis eos quoque
Sereniſ: Rex filio tuo Wladiflao adhuc puero, eumq;
ita à teneris (vt aiunt) vnguiculis inſtitues; vt Polonos
ſuos, viros fortes, tui eiufq; amantiſſimos, iam amare in-
cipiat. Polonus eſt, polonos amet: illos ſemper in ocu-
lis habeat: fortitudinem eorum admiretur. Amet præ-
terea (vt quidem bene ſe iam principia dant) induſtri-
am, virtutem, pietatem: hîc eum regnare tecum & po-
ſtea, eſt maxime conſentaneum.

Primo itaq; loco vos pontifices, cæteri q; ſacerdo-
tes, laudate Dominum Deum, ei q; vota ardentè ac
preces reddite: quia mirabilia fecit. iam perfidiſſi-
mus ſchiſmaticus, & S. R. Ecc. hoſtis accerrimus ſpe
& animo rapiebatur ad templa veſtra violanda, foedan-
da, ſpolianda, diripienda. Iam cæteri ſchiſmatici eum
tanquam meſſiam diuinitus datum in ruinã veræ Ca-
tolicæ Rom. Eccl: ſuſpiciebant: ſed conſilia eius diſ-
ſipata & conatus irriti facti ſunt. Sit ergo benediçtus
Deus

Deus noster in sæcula.

Vos quoq; Proceres regni, Senatores amplissimi, laudate regem regum & dominum dominantium, cuius ope honores, dignitates, redditus, bonaq; vestra, quæ impurissimus latro iam animo ac spe vobis detrahebat, suorumq; militum furori permittebat, tuta vobis sunt, & integra.

Habete & vos nobiles maximas & immortales Deo gratias, qui aut victi cadere, aut perpetuò seruire debuistis.

Ciuitates quoq; , oppida, vici, pagi, coloniæ, ac omnes incolæ regni laudes ferte domino: quia ipse iugum seruitutis à corporibus vestris, à tectis verò & agris ferrum, ignem, rapinas, vîq; omnem misericorditer auertit.

Deniq; tota Respub: infinitas age domino Deo gratias, quia cadente te, nihil erat in quod immanissimus hostis non fauaret. Fecit Deus miseratione sua illam manum hominum nostrorum non succubuisse, vel, quod in bellis non est nouum, non dissipatam fuisse. Actum de nobis fuisset his præsertim dissidiis nostris, atq; comitiorum disturbance: iam Regni huius florentissimi facies versa atq; mutata, iam velut in putri ædificio omnis iunctura dissoluta, nihil iuris cuiquam, nihil libertatis, nihil bonorum, sed ne vita quidem relicta fuisset. Recogita nunc, & intimis perpende sensibus, ò Polonia, quanto malo Deus pater miserationum te nunc liberauit. Eripuit animas no-

Psal. 114.

stras à morte, oculos à lachrymis, pedes nostros à lapsu. Quinetiam fortitudinem nostram, nominisq; celebritatem apud omnes gentes illustrem reddidit. Prædicabit totus Christianus orbis fortitudinem, stupebunt Turcæ, Tartari, ac reuerentur. Non est obscura illa vox eorum: Sunt viri fortes imperterriti, ad omnes subitorum periculorum casus paratissimi.

Optabant maiores nostri, vt palæstram virtutis bellicæ, rei q; militaris ad Danubium instituisent, illisq; in limitibus patriam propugnare potuisent. En habes nunc diuina benignitate, ò Polonia: propagasti imperium vsq; ad Danubium: parent nunc tibi Multani & Walachi: nutus tuos obseruant: his dominis fœlices se esse prædicant. Dilata ergo locum tentorii tui, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dextram enim & ad læuam penetrabis, & semen tum gentes hæreditabit. Beneficium hoc Dei grati animi significatione profequere, atq; occasionem hanc præclaram, quæ naturâ sua mutationi est obnoxia, non dimittas.

Sed cum fortuna hominum sit volubilis & inconstans, operæpretium quoq; est felis & amaritudinis aliquid admisceamus, ne elati læticia insolescamus, Dei que & mandatorum eius obliuiscamur. Erudi te. (inquit scriptura) Ierusalem, ne fortè recedat à te anima mea, ne fortè ponam te desertam terram inhabilem. Vbi enim obsecro maior est fenestra licentiæ quam

quàm apud nos? omniũ flagitiorum plenæ sunt domus
nostræ: regnant hîc latrocinia, homicidia, doli, periuri-
ria, stupra, adulteria. Iam limites excesserunt sum-
ptus immoderati, luxus, bonorum profusiones: Deus
tamen noster, cuius miserationum non est numerus,
nobis pessimis vult benè, & alligat vulnera nostra, in-
fundens oleum & vinum: admonetque nos, vt dum
fodit circa arborem hanc, vt faciat fructus, timeamus
ne succidat eam in futurum: vt bonitate & patientia
eius permoti, peccatis & flagitiis renunciemus, poeni-
tentia verò & vitæ honestæ rationem ineamus.

Luc: 10.

Luc: 13.

Discamus nunc, quantum Reipub: comitia dissi-
pata detrimenti afferant: quantum in consiliis viro-
rum grauium, & rerum ciuiliũ atq; militarium pe-
ritorum sit positum. Quomodo enim iners & imperita
priuatorum hominum multitudo, cuius est tantum ge-
nio indulgere, potest nosse, quid sit è re patriæ? Quo-
modo is, qui ne domesticam quidem rem suam guber-
nare didicit, potest commoda Reipub: curare? Res mi-
litaris, qua regna sunt tuta, non disputationibus pas-
sim omnium, sed consiliis & ingenio ducum pruden-
tissimorum viget.

Discamus nunc, quid sit in rebus dubiis & peri-
culosis moram trahere: securiùs & confidentiùs age-
re: viros graues, industrios, Reique pub. amantis-
simos suspectos habere. An non ipsimet vidistis, quan-
tum patriæ communi vestræ ciues illi profuerunt? An

Isai. 3.

Rom. 19.

Philip. 2.

non ipsi manibus cōtretrastis, quomodo difficillimis
Reip. tēporibus prestō ei erant salutē eius opibus, &
vitapotiozem habebant: non rem priuatam suam sed
publicam curabant: in Rempub: constituendam &
defendendam toto studio incumbebant: pro digni-
tate eius gentisq; suæ gloria nihil non susceptum esse
volebant. Laudate laudate dominum de cælis, quod
pro peccatis & iniquitatibus nostris nondum abstu-
lit nobis validum & fortem, fortem & virum bella-
torem, senem & consiliarium, & sapientem. Non po-
strema hæc fœlicitatis nostræ pars est. Iniquum est
eam fœlicitatem viris de nobis benè meritis inuide-
re: quin potius lætari nos magnopere oportet, Deo q;
gratias agere, quòd ea tempestate saluos adhuc eos
nobis esse velit. Non enim dubium est, iam tum ma-
gnopere Deum iratum esse, quando duces principesq;
laudatissimos è medio tollit. Non in æmulatione &
contentione, sed induimini viscera charitatis. Nihil
per contentionem nihil per inanem gloriam.

Mala est inuidia, pēsima temeritas, pestifera aro-
gantia, exitiosa discordia, his præsertim, qui in eadem
naui sunt. Eiicienda est animi procacitas, pellendæ
contentiones, extirpandæ dissensiones, si nauem hanc
qua omnes vehimur, patriam nostram, cuius gre-
mio omnes continemur, saluam, & contra fluctus ho-
stium nostrorum tutam ac firmam, nosq; simul incolu-
mes esse volumus.

An enim

An enim putatis iam finem malorum esse? iam omnes hostes nostros cecidisse? successit alter magis formidabilis, idem animi & odii aduersum nos fidei que nostram Catholicam gerens, sectator Caluini importunissimus. Multanus patriæ nostræ ornamenta detraebat; hic etiam membris manibusq; truncat. virtutem & fortitudinem nostram ludibrio habet: quod nos magnis sumptibus multis bellis, multo cruore ab hoste potentissimo repetimus, extorquet è manibus nostris. Sed quid utique iuris in nos nostraq; habet? Quid in fidem Catholicam, quam ibi à magno Rege Stephano institutam extirpat, ac ferus aper vineam domini vastat atq; suffodit? Non satis fuit hunc rebellē, raptorē periurū, ac sanguini suo infensissimū Regnū patrium Serenissimi: Regi nostro eripuisse: sed iam nulla æquitatis habita ratione, bello non indicto, permodū latrocinii; arces & ditiones nostras inuadit, vi occupat, ac Regno florentissimo nominiq; nostro maculam insignem inurit. Nunc ergo animis, nunc viribus, nunc magis concordia voluntate, magisq; consentientibus committis, quam antea opus est.

Si præsentis tantiq; beneficii Dei memores, peccata & flagitia, in quibus tamdiu impunè volutamur, detestati fuerimus; si veræ poenitiæ ineundam rationem curauerimus: si depositis animorum offensionibus amore mutuo certauerimus: si deniq; perquisuerimus mandata Dei nostri, iniurias ille nostras pro-

culdubio, quibus præter ius fasq; omne afficimur,
 vindicabit, ac indubitatum nobis conficiet victori-
 am: sin minus, verendum est, ne & ista quæ accepi-
 mus, (quod omen Deus auertat) à nobis auferantur.
 Tibi ergo, ò Deus noster, quanta animi maxima pos-
 sumus deuotione, cultum debitum exhibemus: Tibi
 immortales gratias reddimus: Te vnum patronum &
 defensorem nostrum prædicamus, cum summa animo-
 rum exultatione cum illo canoro iubilo: Iusti tulerunt
 spolia impiorum, & decantauerunt domine no-
 men tuum Sanctum, & victricem manum tuam lauda-
 uerunt pariter. Nihil in nos Multanus iuris & æquita-
 tis habuit: nihil in eum Regnum hoc, cui inhiabat,
 admisit, comeruit, designauit. En autem impiissimus
 cruoris humani heluo, prædo, latro, qui paruulis tu-
 is ò Deus, ò defensor noster, insidiabatur, factus est
 opprobrium omnibus: qui alienis vim inferebat, sua
 amisit: qui sanguinem pontificis tui & multorum
 profudit, vix iugulum proprium subduxit: qui prædi-
 ces & voluptatum ac impuritatis Turcicæ sectator fu-
 it, ad extremam deuenit miseriam. Tibi soli domine
 Deus noster grates reddimus infinitas: tuam victri-
 cem manum extolimus. Non erant tantæ vires nobis
 potentissimum hostem profligandi: sed auxilium tu-
 um & inclytorum Regni huius patronorum merita ac
 intercessio nobis præsto fuerant. Eorum enim diebus
 festis ac sacratis, ea nos læticia cumulasti. Sancta He-
 duigis,


duigis, quæ aliquando fuit Regina nostra, Sanctus quæ
Adalbertus, Apostolus quondam noster, tantum apud
te precibus suis profecerunt, quòd non solùm præda
hosti immanissimo facti non simus, sed etiam parta
victoria magnam nomini nostro accessionem addide-
rimus. Templis tuis sit honor, tibi quæ; cultus debitus.

Ne derelinquas nos in finem: sed omnibus inimi-
cis Regni huius, in quo fides adhuc Catholica viget, me-
tum incute & disperse illos. Protege nos & ab hoc in-
fidiatore hæretico, qui aduersus magistratum suum le-
gittimum, subditus aduersus Regem, patruus erga
nepotem arma iniqua sumpsit. Comprime hostem
hunc domine Deus noster, qui non contentus erepto
regno, audet quoque regnum tuum Catholicum laceſse-
re. Discerne causam nostram, & ostende te maximo-
pere commoueri iniuria seruorum tuorum. Indica te
benignum erga ecclesiam tuam animum & paternum
gerere. Ostende te hominem illum impium, superbū,
facinorosum, qui tibi, iusticiæ, ecclesiæ quæ; tuæ bellum
parat, detestari. Propugna gloriã nominis tui, regnum
quæ tuum Catholicum, vbi altaria plena sunt cultus tui,
vbi dignitas & autoritas Euangelii tui magna est.
Confundantur & reuereantur omnes, qui templis tuis,
populo tuo mala machinantur, gloria quæ; nominis tui
permaneat hic in æternum.



9350

5



7250

9350

50

